

Universitätsbibliothek Wuppertal

Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Basileae, 1551

Dialogus tertius (argumentum)

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-245](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-245)

mus ut ludorum magistri ad iuuentutis disciplinam istis utantur, si custodes apud nos pijs atq; diuini quoad homini possibile est, futuri sunt. Accipio equidem hanc formam proq; legibus ubiq; utar.

ARGUMENTVM MARSILII FICINI IN DIALOGVM
Tertium, de Iusto.



DI A L O G V S tertius custodum educationem in secundo inchoatã prosequitur. Atq; sicut in secundo prohibuit eos audire falsa turpiaq; de dijs, ita hic uetat tragica audire de inferis, quæ redere illos possint timidores. Item & comica, quæ effusorem concitant risum. Tam enim mollis euadit qui quotidie in lachrymas risu profusiore resoluitur, quam qui dolore lachrymare cõpelli tur. Quoniã uero non solum procul à timiditate custodes arcendi sunt, uerum etiã ab intemperantia & auaritia, atq; iniustitia, ideo rursus audiri uetat carmina poetarum, quibus uel deorum, uel heroum magnorumq; uirorũ libidines, rapinæ, iniquitatesq; finguntur. Hæc autẽ educatio militaris omnibus fere ciuibus est aq; cõmunis. Inter hæc quæ de mendacio dicit attende. Mendaciũ ciuitatis calamitas est, uidelicet quãdo priuati inter se mentiuntur, maxime uero si magistratibus mentiantur. Perinde ac si ægroti medico, uel nauatæ mētiuntur gubernatori. Licet autẽ gubernatoribus interdum uti mendacio salutis publicæ gratia, & priuato quandoq; erga priuatum, solũ gratia mali cuiusdam grauissimi deuitandi. Licet & confabulari moderate de rebus antiquis quarũ ueritas ignoratur, et quasi per imagines quasdam res illas quarũ certam formam uix habemus, effingere. Proinde orationẽ in species tres distinguit. Aut enim simplex narratio est, aut imitatio simplex, aut ex utrisq; permixta. Omnem uero sermonẽ reprobatur, qui uilissima quæq; refert absq; delectu, & agit hominem perturbatũ. Quisquis enim diu studiose aliquid imitatur, in eius transit naturam. Quocirca poetam perturbatos animos acrius imitantẽ, tanquam iuuentuti noxium iubet uel mutato stylo constantẽ habitum imitari, uel ex urbe procul abire. Dicit quoque eũ qui plura, uel imitando, uel faciendo pertractat, in singulis tandẽ ita deficere, ut in nullo euadat egregius. Pergit uero deinceps ex prima musica, id est poesi, ad sequentem, eamq; in tres distribuit species, Orationem, harmoniam, atq; rhythmũ. Principio Phthongum musici uocem uocant harmonicam, id est consonantiæ aptam, quæ neq; adeo grauis sit ut nequeat ab eodem cantore grauior fieri, neq; tam acuta ut edi nõ possit acutior. Harmoniam deinde ex Phthongis constituit, congruam uidelicet mēsuram in excessu atq; defectu grauium uocũ, & acutarũ, atq; mediarum. Sunt hic uoces quatuor, grauis atq; acuta, & surgens in acutã, & declinans ad grauẽ. Item primo proportionem quatuor, dupla inter duo atq; unum. Sesquialtera inter tria atque duo. Sesquitercia inter quatuor atque tria. Sesquioctaua inter nouem atq; octo. Proportionem duplam sequitur cõsonantia uocis octauæ: Sesquialteram, quintæ: Sesquiterciam, quartæ: Sesquioctauam deniq; tonus. Sed de his alibi diligentius. Accedit tertio loco rhythmus, id est ordo quidam motionis, & temporis, ut ex secundo Legum percipitur. Postquã enim uoces harmonica quadam excessus defectusq; mensura per intensionem remissionemq; conciliasti, opus est rhythmo, per quẽ uocum acutarum, grauium, mediarũ motus ac tempora metiaris, & in singulis, & inter singulas. Motus dico blãdiore, seueriore, & medios. Tempora dico, longiora, breuiora, æqualia, per accentus longos breuesq; & medios. In his nota basem uocabulum esse diuersum: nam ut res exigit significat, fundamentum, sedem, pondus, progressumq; et terminum. Præter hæc considerandæ sunt nouem consonantiæ, & dissonantiæ cõmunissimæ gradus. Primus in ratione, id est opinio cum ipsa rei ueritate consentiens. Cuius contraria est opinio falsa à ueritate dissentiens. Secundus in imaginatione. Cuius consonantia est consecutio rationis: Dissonantia uero profecutio externorum. Tertius in affectu, uel temperanter rationẽ sequente, uel imaginationem intẽperanter. Quartus in sermone decoro, uel indecoro, quatenus uel rectam rationem, uel imaginationem tumultuariam sequitur. Quintus in cantu. Cuius consonantia est, decorum imitari sermonem, dissonantia indecorũ. Sextus in sono cantum aliter uel aliter imitante. Septimus in saltu concinno, uel inconcinno ad choream pertinente. Octauus in quadam membrorum corporisq; totius cõpositione, tam spectaculo grata, quam exercitio gymnastico prompta. Nonus in artificiosis cuiuslibet artis operibus, musica quadam proportionem cõpositis. Hi nouem gradus Musas tibi referant nouẽ. Memento uero optimam omnium harmoniam esse animi temperantiam. Quam & sequentes ceteræ imitantur, & uicissim cum frequẽtantur, augent. Quapropter iubet eas duntaxat consonantias exerceri, audiri, spechari, quæ habitũ mentis constantem referant, non superbia elatum, non iracundia efferatum, non uoluptate mollium atq; resolutum, non fractum dolore, non misericordia, uel indigentia querulum. Probat ergo concentum grauem atq; constantem, improbat autem extremos, id est concitum atq; mollem: damnat quoq; multiplicem, laudat præ ceteris simplicem. Plurimum uero in animum posse iudicat harmoniam. Siquidem harmonia quædam diuina sit animus, cœlestiq; harmoniæ aliquando, ut Platonice dixerim, assuetus. Rursus harmonia quadam consistit corpus, conflatur & spiritus. Præterea consonantia uocum aerea aereum spiritum motu penetrans, affectumq; canentis & animum secum transferens, audientis affectum mouet affectu, & animum afficit animo, sensimq; mores infundit. In omnibus animaduerte quãdam

non ciuili solum, sed etiam religiosa admodum obseruantia Plato suam erudiat ciuitatem, semperq; quod & præcipit in Politico, temperantiam cum fortitudine misceat. Deniq; quam turpem, quam dissonantem esse censeat ueneream uoluptatem, ideoq; ab amore legitimo procul eam se greget, pulchra semper & consona solum desiderante. Plurima uero de Musica tractat atq; gymnastica. maximi enim momenti erant: omnes enim his incumbabant, debentq; incumbere. Illa enim animum spiritumq; hæc corpus animi gratia mirifice firmat atq; componit. Addit, nõ ex corpore bono bonum animum, sed ex animo bono corpus fieri bonum. Subiungit simplicem musicam animi uictumq; simplicem corporis sanitati prodesse, multiplicem uero utrisq; nocere, hominesq; dum sobrii uiuerent, nõ indiguisse medicorum auxilio physicorum. Damnat superstitiosas corporis obseruationes circa uictum, atq; medelas. Signumq; præcipuum ciuitatis male institutæ dicit esse, si diligenti medicorum iudiciumq; indigeat opera. Describit medici iudiciumq; officium, & iudicem eligit ingenio bonum, prudentem, senem, multos homines & bonos & malos expertum. Afferit prauitatem quasi priuationem quandam, neq; se neq; uirtutem cognoscere. Virtutem uero quasi habitum, per se solum cognoscere se, per se quoq; addito rerum usu de uitis iudicare. Meminisse uero semper oportet, Platonem non solum hic, sed etiam in Legibus, & Politico, & Protagora confirmare nihil magis necessarium esse omni quidem uiro, præcipue uero ciuili atq; philosophico, quam copulam ex fortitudine pariter temperantiæq; conflatam: ut per illam alta petantur, per hanc nõ spernãtur humilia. & utrinque nihil unquam nimis, aut audeas, aut metuas. Per illam rursus priuatas publicasq; propulset iniurias, per hanc abstineas ab iniuria. Per illam ad honesta uoceris, per hanc cohibearis à turpibus. Quo fit, ut gymnasticam simul & musicam ad duo hæc denique referat, ut per illam fortitudo, non tam corporis quam animi, per hanc temperantia cõparetur. Iubet autem ambo rite inuicem cõmisceri. Siquidem sola gymnastica parit ferocitatem, musica sola molliciem, ambo uero fortitudinẽ atq; temperantiam. Ex eorũ denique numero qui sic educati sunt, eligit & custodes, id est magistratus, & defensores, id est milites. Ad magistratũ uero assumi uult senes prudentes, fortes, publici amatores boni, atque in hoc ipso per experientiam comprobatos. Probari item præcipit iuuenes in medijs uoluptatibus, & doloribus, quo discernatur utrum temperati fortesq; sint, an contra: atq; utrum sententiam boni publici conseruandi propter fallacias, aut minas, aut illecebras, sint aliquando facile mutaturi. Denique ingenia hominũ metallis similia esse dicit, & aptum quidem ad gubernandum auro, aptum uero ad militiam argento, ad opificium uero, et agriculturam ferro, & æri. Iubet singula ingenia ad illa quibus apta sunt conuertiri: itaq; gubernatorum filios interdum pro ingenio ad uiliora, atq; uicissim inferiorum filios ad munera nobiliora similiter. Prohibet quoque milites proprium aliquid possidere, ne per auaritiam ex canibus conuertantur in lupos.

DIALOGVS TERTIVS DE RE

PVBLICA VEL DE IVSTO.



HAEC igitur sunt, ut mihi uidetur, quæ de dijs audienda aut non audienda sint ab ipsa statim pueritia, his qui deos & parentes honoraturi sunt, communemq; amicitiam non paruifacuri. Existimo, inquit Adimantus, nobis sic recte uideri. Quid autem his qui fortes futuri sunt: nõne ea dicenda quæ ipsos mortẽ minime metuentes reddant: an putas aliquem fortem esse unquam, qui hanc timeat? Minime per louem, inquit. Sed & qui ea quæ de inferis dicuntur credat, & terribilia esse existimet, putas ne eum intrepidum ad mortem futurũ, in ipsaq; pugna mortẽ seruituti & captiuitati præpositurum? Nequaquam. Oportet itaq; nos, ut uidetur, præcepta dare etiam his qui de his rebus fabulantur, precariq; ne ita simpliciter quæ apud inferos sunt uituperent, sed magis laudent: tanquam neq; uera dicant, neq; utilia his qui pugnaces futuri sunt. Oportet sane. Delebimus igitur eiusmodi omnia, ab hoc uersu sumentes exordium. Mallem equidem in re rustica conseruoinopi seruire, quam defunctis omnibus imperare. Et illud. Domus profecto mortalibus immortalibusq; horribilis, uasta, foetensq; uideatur, quam etiam dii odio habent. & illud. O miseri nunquid nam apud inferos anima atq; imago? At uero mens adest nulla. & illud. Soli sapiunt: cæteri umbræ uolitant. Item. Anima soluta membris ad inferos uolat, suam deplorans calamitatem, cum & fortem & teneram ætatem reliquerit. Item, Anima sub terras ueluti fumus, exulans abiit. Item, Quemadmodum noctuæ uasto sub antro ululantes uolant postquam aliquæ de ordine ceciderunt ex petra in qua cohærebant, sic illæ simul stridentes ibant. Hæc utiq; & cætera talia, bona Homeri & reliquorum poetarum uenia abijciamus, non quia poetica non sint, & apud multos auditu iocunda, sed quoniam quanto magis poetica sunt, tanto minus audienda pueris atq; uiris quos libe-

Homeri carmina.

Quæ dicta à poetis de inferis, non sunt audienda pueris